

## §. III.

Qui vero erant secundi ordinis, Enthusiasmi fermento paulatim aut infecti aut immersi, aut librorum pessimorum lectione aut fanaticorum Doctorum auscultatione, aut hominum a Satana seductorum conversatione, conventiculisque clanculariis paulatim in publicos ac velut Theatrales actus transmutatis, inescati, Inspirationis opus *pro divino* habuerunt, & celebrarunt, monitique audacter defendendum putarunt, tanta equidem in nonnullis promptitudine, ut rem nisi probe exploratam haberet, satis bene defensam crederes, in aliis ea animi verborumque contradictione, ut in negotio malae fidei versari eos, protinus deprehendas. Etiamsi vero non unius religionis sint homines, sed prout quisque in suo coetu magistros ad Enthusiasmum pronos habuit & sectatus est: in eo tamen omnes consentiunt, quod a Deo constituti sint peculiari auspicio & benedictione in nova quadam Ejus Oeconomia eaque extraordinaria ab ordinaria hactenus consueta longissime remota, adeo ut quae hinc inde desiderari posse videantur, neque plane negari possint esse instar defectuum, ea omnia testari credant, quod sint *saltem praegustus ac praeludia ad Oeconomiae illius excellentiorem gradum proxime imminente*, in quo Deus se fidelibus suis multo adhuc luculentius immediate conspicuum manifestaturus sit, quam hactenus per Verbi praedicationem & Sacramentorum administrationem, mediante ministerio factam, illud fecerit. Haec enim tanquam puerorum crepundia locum non amplius tunc habere, sed dispensationem longe eminentiorem & praeclariorum proxime instare. Testim. Veritatis sic dicto & nuper edito. p. 108.

## §. IV.

Nec erat mirum, quod in hanc inconditam & absurdam, manifeste praeterea Enthusiasticam, sententiam se

A 2

confer-